



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XX. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Joannes calybita statim in scholis primis Mariæ Virginitatem imitari constituit, ejus tuendæ causâ è domo paterna profugus, iterum redux, novus Alexius in domo Patris incognitus, à Matre malè habitus latuit, qui Matrem in cœlo tantò amplius venerabatur, quantò hanc in se minùs humanam est expertus. *Mayr.* Mature inchoandus est illi cursus, qui multùm vult proficere.

S. Joannes ora pro me Deiparam, ut ejus virtutum imitationi ex toto addictus, ita per has vitæ calamitates transeam, ut notus Deo, ignotus mundo, quin & despectus eò per bonam mortem, perveniam, ubi nulla amplius erit necessitas, nullus metus. O Sanctissima Dei, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Aureo sacro *Rorate* honori Mariano interesse conabor.

Gratiâ & dulcedine tuâ ô Maria! pleni sunt cœli & terra, undique beneficiis tuis irretiti nos semper. *S. Bonav. p. 34.*

Quæstio: An B. Virgo Christum in domo Josephi habitans conceperit? *v. Bar. tr. 1. l. 8. c. 5.*

XX. DECEMBRIS.

S. Dominicus Abbas, quia castitatis studio ac tenerâ devotione Deiparam sibi demereri constanter studuit, in pietatis suæ præmium coronam sibi è cœlo missam donò accepit. *Nad. an. Cœl.* Nulli ea Mariam, ut decet, colenti emanabit.

S. Do-

S. Dominice ora pro me Deiparam, ut in via peregrinationis hujus meæ mortalis illa mihi sit inter aquas cymosura, inter avia manu ductrix, in dubiis consultrix, in omnibus Patrona; ut sic ejus protectione firmato nullus mihi nocere possit inimicus. O Sanctissima Dei, &c *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Pro Deiparæ clientum agonizantium solatio mea hodie offeram.

Moneat te natura ô Dei Mater, moneat potentia, quia quanto potentior, tanto misericordior esse debebis. *B. Petri. Dam.*

Quæstio: An Angelus Josepho Sponsæ innocentiam revelans assumpto corpore id præstiterit?

XXI. DECEMBRIS.

S. Joannes de Matha Ordinis SS. Trinitatis de redemptione captivorum fundator, Christianos è captivitate barbarorum erepturus, dum pro 130. litrum deesset, coram imagine Deiparæ, quam semper è pectore gestabat, flectens eidem necessitatem hanc exposuit, à qua tantum monetæ accepit, quanta redimendis illis captivis suffecit. *Lopez. Chr. Ord.* Gravior est dæmonis captivitas.

S. Joannes captivorum redemptioni additissime, respice me miserum quem tot cupiditates; amor proprius, & pravæ concupiscentiæ captivum tenent, exime his me vinculis tam duris, tamque diuturnis, & ora pro